

Johann Hempel    Henricus Holstenius

## **Disputatio Philosophica Praeliminaris Exhibens Prooemiorum & Philosophiae**

Rostochii: Kilius, 1648

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730220427>

Druck    Freier  Zugang



RA phil 1648  
Johann Hempel  
Mein. Holstein







DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
PRÆLIMINARIS

*Exhibens*

PROOEMIORUM  
& PHILOSOPHIÆ,

Naturam

*Ex prælectionibus Clarissimi & Doctissimi*

M. JOHANNIS HEMPELII,  
in genere delineatam,

*De qua*

Summo favente Numine, in illustri  
Rosarum Academiâ, consensu Amplissi-  
mæ Facultatis Philosophicæ.

*Eodem PRÆSIDE*

Respondebit

HENRICUS HOLSTENIUS,  
Wylstriâ-Holsatus,

*Ad diem 27. Septembris in aroaterio majori  
horis 2. ad 3. pomeridianis.*

16[0]90

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLVIII.









## CUM DEO.

**Q**ualibet Disciplina duabus absolvitur parti-  
bus, unâ extræssentiali, brevem totius habitus disci-  
plinæ *συναγωγία* exhibente, quæ inde præmium  
dici solet; Alterâ essentiali, ea quæ disciplinam in-  
erinsècè constituunt includente; Utriusq; natura ac indoles in ge-  
nere determinari potest. & quia potest debet, ne vel in habituum  
præmialibus, vel in essentialibus, in quantum quidem ad com-  
munem quandam naturam ea revocari possunt, error committa-  
tur. Prestabit, volente Deo, utrumq; præsens disquisitionis, Prælimi-  
naris cu in qua 1. Natura Præmiorum, 2. Indoles Philosophia in  
genere delineabitur. *Facis fons veritatis Jehovah, ut veritatem  
studiosè sectemur, ubiq; assequamur.*

### THESIS I.

**P**ræmium vi vocis præcentrationem, præ-  
ambulum, item viam significat; per metaphoram ve-  
rò ad disciplinas ejus usus translatus est, quod, quemad-  
modum Musici instrumentales suis cantionibus an-  
tecantamentum præmittere solent, quo viam ad  
ipsum cantum sibi sternunt, ita & Habituum confi-  
gnatores per Præmia ad ipsum tractatum essentialem aditum sibi pa-  
rent, & cujus toni futurus sit indicent.

2. Quæ vocis notatio qualis præmiorum ad partem disciplinæ  
*συνωδία* habitudo ac respectus esse debeat, quisve eorundem sit finis,  
monet, nempe, ut, quæ ad illius integritatem pertinent, brevi quasi sum-  
ma complectantur, tyroni, ne objecto vel fine, prout vel hic vel illud pri-  
mas in habitu disciplinari tenet partes, prorsus ignorato in ignorâ syl-  
vâ oberrare sibi videatur, vel ignoti omnem cupidinem abijciat, ad præ-  
gustandum exhibeantur, & quid primò quidve ultimò expectandum sit  
parefiat.

A 2

3. Unde



3. Unde sequitur, geminum τῶν ἀρχαίων esse officium, unum *rationerum ipsarum*, quarum latitudinem sub objecto vel fine adæquatis & totalibus debent repræsentare: alterum quoad ordinem, ut quid præmittendum, quidve postponendum & quomodo unum ad aliud tanquam speciale ad generale vel principiatum ad principium suum referendum sit, constituant.

4. Ex officii duplicitate duæ præmiorum enascuntur partes, prior, explicans officium prius, est *Definitio*, posterior, ad posterius officium relata, est *Divisio: illâ*, partis essentialis contenta ad unum quoddam genus puta ad Objectum, vel finem revocata, *hâc*, eorundem conveniens ordo & dispositio delineata, ad cognoscendum offeruntur.

5. In utraq; parte ad id quod in habitu aliquo principalissimum est respicere oportet, quam ob causam juxta varietatem & diversitatem habituum variant præambulatorum & definitio & divisio. In theoreticis habitibus, quia objectum principem tenet locum, definitionem illud ingredi necessum est, ut ita genus definitionis modû in disciplina versandi, differentia specifica res tractandas manifestet. Practicæ ut & effectivæ autê Philosophiæ generalis definitio finis mentionē præprimis ut faciat, eumq; pro differentia specifica assumat, convenit, quia hic principatum obtinet, & omnia ad eum referuntur, genere, ad ostendendum quomodo in practicis disciplinis versari debeat, appposito. Eadem ratio valet in disciplinis dividendis, unde habituum contemplativorum divisiones petuntur ex variis considerandi modis, quos admittit objectum. Activas & effectivas disciplinas dividendi modum ratio considerandi finem alia atq; alia pandit.

5. Ex dictis generalem descriptionem præmiorum conficimus talem: *Præmium est anticipata doctrina, in quâ quid, quove illud ordine in parte essentiali proponi debeat breviter ostenditur, ut tyrones subsequens tractationis præmissum quendam habeant.*

6. *Anticipatam dico doctrinam* non in via inquisitivâ, sed in viâ auscultativâ. Neque enim inventa sunt neq; inveniri prius præmiis potuere quam pars disciplinæ essentialis constitueretur, siquidem habitus habent rationem Totius, quod nisi singulis partibus perlustratis distinctè cognosci nequit. Quare nec de imperfectione argui possunt illorum labores, qui, præliminaribus illis neglectis, ab ipsa re statim auspicati sunt, quia necessitas horum non est absoluta. Satius tamen est in vestibulo



bulo disciplinarum ea ponere, ob necessitatem, quam habent, hypotheticam, in utilitate insigni, quam Tyroni præbent, terminatam. Tantum de Proœmiorum indole *ως εν πλαται* dictum esto: sequitur Natura Philosophiæ in genere spectata.

8. Per præscriptionem quidem & propter modestiam à seculo Pythagoræ rerum humanarum divinarumq; scientia *Philosophia*, & ejusdem Proci *Philosophorum* appellatione se tuentur, rectius tamen hi *Philosophi* quam *Sophi*, illa *Sophia* quam *Philosophia* diceretur, Amor enim sapientiæ non tam commodè ipsi rerum notitiæ, quippe cujus possessio est ipsa sapientia in suo genere perfecta, quam ei, qui hanc affectat, adjudicatur, eò quod hic, dum ad perfectionem pertingere vix licet, perpetuo ejus consequendæ desiderio tenetur, & quò propitius, cognitionis gradibus successivè superatis, ad illam accedat, contendit.

9. In dubium *Philosophia existentiam* si quis traxerit (quod consequenter in genere fecere Sceptici, qui id unice sciri posse, quod nihil sciamus, tradiderunt, proprio talem confessionem edendo se jugulantes gladio, in specie verò ad hunc errorem accessisse videtur Socrates, qui teste Cic. in quæst. Acad. à rerum divinarum, occultarum & ab ipsà veluti naturâ involutarum consideratione philosophiam avocavit, & ad vitam communem adduxit, ideò quod in illis nihil ab hominibus inveniri posse arbitratur) cum innatum sciendi desiderium, objecta Philosophica scibilia, & splendida Philosophorum lumina, quorum grati labores, quantos, ad rationis accensu lumen ambulantes, profectus quamq; felices fecerint, non obscure testantur, ad confutandum præsto adsunt.

10. Perperam tamen concludet, qui perfectam illarum rerum, quas suis viribus ratio consequi potest, notitiam in hominis cujusdam animo subjectari, deducere inde tentabit: Qui enim in nullo deficiat Nemo est; inhæret Philosophia hominis animo sed imperfectè & inchoatè.

11. Definitur Philosophia, quod sit *Habitus acquisitus facultates animæ rationales circa res sensui subjectas, in quantum lumine rationis sunt cognoscibiles, & ad animæ perfectionem universaliter referuntur, informans, ad perfectionem illis debitam naturalem consequendam.*

12. Genus definitionis est *Habitus* cum addito sc. *acquisitus*; perficit enim cognitio rerum Philosophicarum potentiam hominis naturalem, quâ ad res cognoscendas præditus est, non in momento vel in in-



stanti sed successivè, dantur enim cognitionis gradus, quorum unus post alterum per crebras & continuatas actiones superandus est. Sequesterantur hoc ipso à ratione generis omnia aliena, utpote Notitia, Systema, Doctrina & Disciplina, è quibus hæc, ob respectum quem important accidentalem reprobantur, istud, quia ex diversâ petitur est categoriâ, illud tanquam nimis latum ad genus constituendum minus aptum est. Quam Apostoli rerum Philosophicarum habuere cognitionem, habitualis quidem fuit, huc tamen non pertinet, quia per crebras actiones acquisita non est, sed à Spiritu S. à quo immediatè edocti sunt, infusa.

13. Differentia causarum Philosophiæ seriem continet, quibus cognitio Natura Philosophiæ in universali cognoscitur, quibus ignoratis & ipsa ignoratur.

14. *Causa ejus efficiens* spectari potest vel ut principium Quod vel ut principium Quo, *Principium Quod* sunt homines ingeniosi & sapientes, qui naturam scrutando, & quod ad beatam vitam transigendam requiritur, judiciousè inquirendo sui laboris studii & sedulitatis fructum in scriptis percipiendum nobis communicarunt, quæ etiam grato animo acceptare & venerari oportet, non quidem ea intentione, ut pro normâ decidendarum controversiarum philosophicarum affigantur, humanæ namq; fragilitatis memoria non ita penitus obliteranda est, sed ut rationes inibi contentæ ponderentur, ad rectæ rationis trutinam revocentur, & examinentur, firmiores retineantur & imbecilliores negligantur. Multo magis tale studium harum Authoribus, quam nimium quorundam encomium, acceptum foret, si cognoscerent.

15. *Principium Quo* est recta ratio, seu rectum de rebus per naturæ vires cognoscibilibus iudicium, quod ab Infito sciendi desiderio, indigentia & necessitatis sensu ac rerum in mundo existentium admirandâ pulchritudine & varietate, seu causis impulsivis excitatum, sensu, observatione, experientia (ab Arist. observatis l. 2. post analyt. c. ult.) rerum comparatione, abstractione &c. tanquam famulis utitur, & ex plurium particularium ac singularium collectione universalialia efformat theoremata, atq; ita integrum habitum ordinat.

16. Cum vero ratio, etiam quæ rectè se judicasse statuit, à veritate nonnunquam abnormare queat, & ad cognitionem earum rerum, quarum, si per lapsum nullum passa fuisset deliquium, perfectam habere potuisset notitiam, modo insufficientis sit, si testimonium, quod de rebus  
natura-



naturalibus Scriptura præbet, repudiaverit, ad meridianam lucem cæcitate, & in rationis, etiam in naturalibus depravata, cæcitate, quàm accensâ verbi divini luce sibi magis placere velle æquissime judicabitur. Pro norma tamen, quatenus ratio est, nunquam eam venerari tenetur. Utile quidem est, quin & ad explorandam quantitatem reliquiarum imaginis divinæ post lapsum remanentium necessarium, ut quousq; in naturali cognitione mens progredi valeat, sciamus, tentare, id tamen, quod ratio jam non assequitur, simpliciter ex philosophiæ circulo, quasi nullo modo aut nullo tempore per rationem cognosci poterit, exturbare velle, vel, quod de rebus naturalibus Scriptura testatur in philosophicis disciplinis tolerari nolle, *Philautiav* sapit.

17. *Causa formalis* Philosophiæ nulla est, quia ipsa forma est accidentaliter suum informans subjectum, formis autem aliæ formæ non dant esse, sed ipsa entitas, unde nec per formam existunt ut composita, sed per actum entitativum. Verum hoc est de Philosophia habitualiter sumptâ, sin verò systematicè eam considerare velis, formam assignare licebit externam ad similitudinem aliorum Entium per aggregationem; in partium dispositione & methodica præceptorum cohesione consistentem.

18. Et quia illa, quæ formam propriè sic dictam non habent, materiâ quoq; carent propriè sic dictâ, cum mutua inter hæc detur habitudo atq; respectus, sequitur Philosophiæ *materiam ex qua* (quæ improprijssimo sensu voce acceptâ materia dicitur) assignari non posse; Cui accedit, quod ipsa sit incorporeum quid & immateriale; Nihilominus tamen agnoscit materias impropriè dictas, nempe Materiam in qua & Materiam circa quam. Hæ enim non præcisè ipsam rei, cui tribuuntur, materialitatem, sed certum tantum ejusdem statum denotant; *Infuse* in hærentiam, hæc considerationem vel actionem, vel effectionem.

19. *Materia in Quâ*, quæ aliàs subjectum vocatur, est vel denominationis vel in hærentiæ. *Subjectum denominationis* est Homo, qui totus à scientiarum philosophicarum cognitione Philosophus audit, non enim dicimus, anima hominis philosophatur vel est philosophia (liceat jam tali vocabulo regulis grammaticis velificari) sed Homo philosophatur, & est Philosophus. *Subjectum in hærentiæ* est anima hominis, ejusq; facultates rationales, quæ solæ intensivè per gradus scientiæ thesauros introrecipiendo, & extensivè virtuosas actiones edendo perficiunt.



eiuntur. Proinde remouentur hinc. 1. *Deus & Angeli*, qui quidem res philosophiæ circo comprehensas multo exactius norunt quàm nos, sed modo cognoscendi utuntur eminentiori & perfectiori, non per sensum sed per præsentem intuitionem cognoscentes. 2. *Bruta*, utpote, quæ intelligendi aut volendi facultate prædita non sunt.

20. *Materia circa quam*, Objectum aliàs dicta, sunt res sensui subiectæ quatenus lumine rationis sunt cognoscibiles & ad animæ perfectionem universaliter referuntur. In quo objecto duo, quorum in omni materia circa quam, siue sensibilis ea sit, siue intelligibilis, ratio habenda est, coniunguntur, *materiale* s. res considerata, & *formale* s. modis considerandi, *Illud* sunt res sensui subiectæ, *Hoc* quatenus lumine rationis sunt cognoscibiles, & ad animæ perfectionem universaliter referuntur.

21. Distinguendum autem initio hic est inter objecta per se & per accidens, directa & indirecta, quorum illa non hæc res considerata complectitur. Agit de ente rationis, de Falso ac Malo Metaphysicus, quarit de Væuo & Infinito, item de Tenebris & Umbrâ Physicus, Ecclypsiùm solaris & lunaris causas investigat Astronomus, Verùm nullum horum adducitur tanquam objectum per se & directè ad habitus perfectionem, pertinens, sed per accidens, ceu cuius juxtapositio ad uberiorem & faciliorem oppositi intelligentiam non parùm confert.

22. Disciplinarum instrumentalium putà Grammatices, Rhetorices & Logices objecta quod concernit, quamvis specialissimè voce Res acceptà Entium rationis catalogo adscribantur, non tamen absq; prægnanti ratione dubitare quis poterit, numne iisdem cum habitib; scientificis illa beanda sint privilegiis, siquidem ab intellectu tanquam causâ effectivâ reali producuntur, in eodem subiectantur, & extra intellectum in rebus ipsis fundamentum habent; Unde materiali huic objecto non immerito includuntur.

23. Verumenim verò nondum satis in voce Res subiectum materiale quoad rem ipsam restrictum erat, Nam modus considerandi æqualis esse debet rei consideratæ in constituendo aliquo subiecto, ita ut per adjectionem particulæ Universalis de hac ille prædicari possit, Id quod probè & judiciosè observavit Zabar. l. i. de Natur. Log. c. 18. hoc adijciens exemplum: Si quis diceret, esse in aliquo libro subiectum animal, quatenus est rationale, is non rectè diceret, quia si hæc locutio esset  
admit-



admittenda, oporteret omne animal esse rationale: qui enim ita loquitur, videtur supponere, omni animali rationale esse, vel saltem non simpliciter animal sumit sed restrictum & pro solo homine &c. Jam vero res ad  $\rightarrow$  Lumine rationis esse cognoscibile non ita se habet, ut recte dicam; Omnis res lumine rationis est cognoscibilis, falsum enim hoc, cum mysteria Fidei omnino res sint, nec tamen per naturam vires cognoscantur. Quare ulterius coarctari & restringi debuit per adjectas voculas, *Sensui subjecta*; & sic commodè dico: Omnes res sensui subjectæ sunt lumine rationis cognoscibiles.

24. Neq; nimis coarctatum hoc pacto limitatum Philosophiæ objectum videri poterit, aut quod Deum, Angelos, Formas &c. ceu sub sensu non cadentes excludat, inculari, Omnis namq; nostra cognitio à sensu incipit, & nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, ut habet vulgatissimus Scholasticorum canon; non tamen ut immediatè cognoscendum sensui subjaceat, statim necessum est, sed sufficit, si mediatè vel in effectu vel in specie, vel in partibus, vel in simili, vel in opposito eadem offeratur.

25. In modo considerandi  $\rightarrow$  *Quatenus* & reduplicativè & specificativè explicari debet, Reduplicativè, dum causam indicat, cur de rebus sensui subjectis habitus scientifici adornentur, quæ in eo residet, quia ratio illas extra revelationem cognoscere, & sub certis conceptibus earum naturam apprehendere valet; specificativè, ut ostendatur omnes alias considerandi rationes, quas res sensui subjectæ admittunt, hic exulare, idq; unice, quod ratio de iis investigare potis est, attendi.

26. Non, quod in nuda illarum contemplatione perpetuò acquiescat & ad actiones nunquam accedat, quod sub famosiori significato  $\rightarrow$  cognoscibilis insinuari videtur, sed quod in ipsis agibilibus etiam certam scientificam notitiam præmittat, Cognitio namq; quatuor sumi potest modis: 1. pro cognitione in se terminatâ, quomodo scire vel cognoscere dicimur res necessarias & sub adæquatis theoreticarum disciplinarum objectis comprehensas. 2. pro cognitione directa ad actionem, qualem cognitionem Practicæ Philosophiæ cultorem decere Philosoph. I. r. Eth. Nicom. c. 3. quando idoneum Ethices auditorem determinat, ostendit. 3. pro cognitione relata ad effectivem, qua ratione Logica præcepta cognoscere oportet. 4. pro tali cognitione quæ à tribus prædictis cognoscendi modis abstrahit, omnesve includit, & ita termi-



mus cognoscibilis in determinatione objecti philosophici accipiendus est.

27. Porro cum Objecta Superiorum Facultatum, Jurisprudentiæ & Medicinæ, Artium itidem Mechanicarum lumine rationis cognoscibilia quoque sint, & speciali revelatione nullâ indigeant (quam ob causam etiam de prioribus, si non tam vocis Philosophiæ hodiernum usum, quàm latitudinem & rei veritatem respicere quis vellet, numne sub Sapientiæ ambitu comprehendendæ & ad illius gremiû, è quo lectissimarum instar filiarum prodierunt, reducendæ essent, non abs dubitare posset) ne Facultatum confusio fieret & artium illiberalium cum Philosophia per plurimos jam annos ab hac distinctarum, ulteriori objecti formalis limitatione ac restrictione opus fuit, cujus gratiâ apponere volui verba: *Et ad animæ perfectionem universaliter referuntur.*

28. Quibus removentur. 1. *Jurisprudentia*, quæ licet cum Philosophiâ Politicâ maximam alet affinitatem, & pro legitimo ejusdem fœtu habenda esse videatur, differt tamen in eo, quod Politices monita sint universalia, omnes ubiq; homines concernentia: E contrario Jurisprudentia non tradit universalia de morum conformitate & affectuum moderamine præcepta, sed ad certas locorum, temporum, & personarum circumstantias adstricta.

29. 2. *Facultas Medica*, cujus notitiâ etsi ab insitiæ rubigine animum humanum expurgat & perfectionem eidem addit, attamen quia hanc perfectionem pro fine ultimo non habet, sed extra progreditur & ad corporis, cui sanando inventa & ordinata est, potius quam animæ salutem terminatur, à Philosophiæ pomœriis exulare jubetur.

30. 3. *Artes Mechanicæ*; nam quanquam & hæ animum quodammodo perficiunt & ad ignoti cognitionem promovent, indigniores tamen sunt & ignobiliores quàm ut splendoris Philosophici & veræ perfectionis quicquam animo conferant, siquidē non tam facultatum animi nobilissimarum perficiendarum quàm vel comportandi lucri vel corpus agile & promptum efficiendi vel vitæ sustentandæ vel alterius cuiusdam, quem corpori præstant, usus causa excogitatæ sunt, & hodiè communiter à suis propagatoribus adamantur.

31. *Fini Philosophiæ* est perfectio naturalis superioribus animæ facultatibus debita. Agnovère omninò sapientiores Ethnici in potentiis animæ nobilioribus magnam quandam imperfectionem eamque

COR-



congenitam, quanquam causam ejus ignorabant, quam nec scire poterant. Hujus igitur corrigendæ causa studia Philosophica excoluere, & ut finem atq; utilitatem hanc, quam ex indefesso Sophiæ studio ipsi reportarant, aliis communicarent, insignibus illam titulis honorariis ornarunt, veluti quod sit Medicina animi, quæ morbos illius longè exitiosos, ignorantiam mentis & pravitatem voluntatis evellat: quod sit Meditatio mortis, non naturalis sed voluptuariæ, non de animâ à corpore separandâ sed de affectibus deponendis monens: quod sit Assimilatio Dei, quæ nos divinæ naturæ participes efficiat, & quod Dei genus simus commonefaciat.

32. Et si vel maximè his Ethnicorum de Philosophiæ fine testimoniis ac confessionibus circumdati non essemus, nihilo secius ex convenienti nominum impositione per Adamum factâ, cujus omni exceptione major testis Scriptura meminit, concludere possemus longè exactius rerum naturalium essentias Homini in statu integritatis perspectas cognitâsq; fuisse quam nobis, ac proinde ipsa imaginis divinæ rudera non omnimodò perfecta & incorrupta post lapsum mansisse in nobis, qui in statu corruptionis ad impositorum nominum penetrationem impares sumus, tantùm abest, ut ad illa secundum specierum varietatem imponenda sufficiamus. Quia itaq; ad hanc imperfectionis maculam abstergendam Philosophia data, inventa atq; idonea est, animæ perfectio finis ejus rectè asseritur.

33. Perficit autem animam non uno modo sed pro facultatum numero & diversitate dupliciter, *intensivè*, quoad cognitionem, quâ perfectione indigebat intellectus, & *extensivè*, quoad operationem, cum illam, quæ proprio nomine Actio vocatur, tum eam, quam speciatim Effectioem nominamus, quæ rectitudo utriq; potentiæ communis est.

34. Præter insignem hunc finem est etiam Philosophiæ multiplex Usus cum sine nullatenus confundendus, Finis enim rerum Philosophicarum respicit possessionem, Usus vero in rerum possellarum usurpatione & applicatione consistit, & non tantum intra ipsum Philosophiæ territorium est uberrimus, dum scientiæ particulares utuntur terminis scientiæ universalis, à Physico quid sit visibile addiscit Opticus &c. sed & ad superiores facultates utilitatis suæ rivulos effundit nunc in genere, nunc in specie. In genere omnium Facultatum libros exornant voces Metaphysicæ; in specie physicis nominibus crebrè utuntur Medici, ter-



minos politicos perpetuò adhibent Jure. consulti, & hi quidem majori cum securitate & tolerabiliori minusvè nocivo errore quam Theologi; Quare in horù auribus perpetuò personabit Regula: Magna est in Theologia Philosophiæ utilitas, modo in applicatione servètur sobrietas.

35. Definitionem Philosophiæ rectè excipit *Divisio*, nam quia totum aliquot est ex pluribus partibus aggregatum, resolutionem in illas per divisionem, partitionem vel distributionem (in his enim vocibus *excipitur*, cum usum ejus nullum videamus, negligimus) omninò admittit.

36. Et quidem ad palatum satis esset Stoicorum divisio, quâ Philosophiam in Rationalem, Naturalem & Moralem dispefcunt, modo voces in tanta latitudine, in quanta illas sumi necessum foret, accipere liceret. De notionum Moralis & Rationalis late patentia & adæquatione res quidem indubitata est, sub illa totam Philosophiam practicam, sub hæc omnes disciplinæ instrumentales contineri; de vocabulo autem Naturalis, num pro omnibus Philosophiæ Theoreticæ partibus supponat, quæstio adhuc moveri posset, non quidem eâ de causâ, quod Mathematicas disciplinas ab hujus divisionis inventoribus Philosophiæ contradistinctas & præsuppositas fuisse credam, sed quia Gnostologiam & Noologiam sub eadem apud Antiquos comprehensa fuisse vix ac ne vix constar.

37. Quare ut usus vocum magis proprius & receptus observetur, duobus modis haud incommodè Philosophiam dividi posse videtur. 1. *ratione determinationis ad usum* & ita vel Principalis est vel Instrumentalis. 2. *ratione sui* cujus respectu triplex est: Contemplativa, Activa & Effectiva.

38. *Principalis* est, quæ ex se & sua natura studio digna est. Quamquam enim utilitatem aliquam continet, qua superiorib. Facultatib. inservit, essentiam tamen in illa terminatam non habet sed & extra usum per se expetibilis est & amabilis. *Instrumentalis* est, quæ ita propter alios habitus appetitur & expetitur, ut nisi utilis foret ad eorum adeptionem profus non expeteretur. Quam descriptionem suggerit accurata naturæ instrumenti delineatio à Zabar. l. i. de Nat. Log. c. 10. his verbis proposita: Instrumentum illud esse dicimus, quod cum propter aliud sit tanquam propter finem, ipsius ea tantum est natura, ut ad illum finem assequendum utile sit, quo fit, ut illud propriè dicatur instrumentum, quod

amota



amota utilitate ad illud ipsum per se expetendum non est.

39. *Contemplativa Philosophia* est, quæ pro fine habet contemplationem & in nuda cognitione terminatur. *Activa* est, quæ cognitioni superaddit actionem: *Effectiva* dicitur, quæ quod cognovit etiam efficit. Ex his *Contemplativa* & *Activa* sunt principales, *Effectivæ* autem *Philosophiæ* sunt instrumentales.

40. Prioris divisionis membrum posterius quod à corpore Philosophico communiter excluditur, partem quandam in eo constituere & ad integritatem facere, partim *Philosophiæ* nomen, partim ejusdem evincit finis. *Prius*, quia sapientis est, non modo rerum ipsarum notitiam expetere, sed & de eo sollicitum esse, quo pacto notitiam veram adipisci queat; unde rectè Connimbricenses dicunt, *Philosophiæ* esse non tantum rerum ipsarum notitiam obtinere Philosophando, sed & quo pacto Philosophandum sit cognoscere. *Posterius*, quia finis *Philosophiæ* ut thesi 30. determinatum fuit, intellectus & voluntatis perfectio est, ad quam consequendam non parum disciplinæ instrumentales conferunt, præprimis *Logica*, dum morbo, quo intellectus in modo res cognoscendi & veritatem ignotam eruendi laborat, medetur. Idem autem partem esse & instrumentum disciplinæ non repugnat.

41. Posterior Divisio fundatur in objectis & Fine. *Objecta* quod concernit, possunt omnia objecta Philosophica ad tres revocari classes, ita ut quædam sint *contemplabilia*, quædam *agibilia*, quædam etiam *effektivabilia*: Quot itaq; sunt objecta Philosophica, tot etiam in genere *Philosophiæ* partes erunt. Quantum ad fines, variant illi pro varietate objectorum, quæ quia triplex est etiam in finibus triplex erit diversitas, & consequenter, in tres partes primâ atq; generali distributione tota *Philosophia* juxta numerum finium ut dispescatur, consentaneum est.

42. *Contemplativa Philosophia* quia plurima & distincta completitur objecta, vicissim in plures partes subdividi potest. Cujus sub divisionis fundamentum nonnulli collocant in abstractionis diversitate, sed frustra; siquidem in unâ eademq; disciplina plures abstractionum modi concurrere possunt, quemadmodum manifestum est in *Physica*, quam abstractio à materiâ signatâ peperisse creditur, quæ tamen ad Cælum & Elementa nullatenus applicari potest: Alii ex generibus rerum, quæ nec actioni nec effectioni humanæ subjacent, habituum theoreticorum numerum colligere student, non quidem inconvenienter sed



insufficienter, dum quasdam res vel negligunt vel cum aliis confundunt.

43. Firmiori innituntur basi, qui *ex objectis formalibus totalibus specis distinctis* pro numero scientiarum theoreticarum concludunt: quia enim objectum in his principalissimum est, omninò pro numero illorum ut imperet, aptum natum erit, & si totale sit, ad distinctum quoddam scibilium genus constituendum sufficet, proindeq; tot erunt partes Philosophiæ contemplatiuæ, quot sunt objecta totalia distinctum scibilium genus constituentia: Horum vero objectorum sex sunt. 1. Cognoscibile quò tale. 2. Principia prima lumine rationis investigabilia quatenus talia. 3. Ens quatenus Ens est. 4. Spiritus in quantum Spiritus est. 5. Corpus naturale quatenus naturale est. 6. Qualitas quatenus est extensa.

44. Ex quibus dum vigore æquitatis suum cuiq; adjudicatur considerandum, partes Philos. Theoreticæ itidem sex oriuntur. 1. *Gnostologia*, quæ est habitus occupatus circa cognoscibile quatenus tale. 2. *Neologia*, quæ est habitus principia prima lumine rationis cognoscibilia quatenus talia penetrans. 3. *Ontologia*, considerans Ens quatenus Ens est. 4. *Pneumatologia*, spiritum quatenus spiritus est contemplans, 5. *Physiologia* agens de corpore naturali quatenus naturale est. 6. *Pesologia*, quæ circa quantitates occupatur in distinctis disciplinis, prout modi considerandi totales & ad æquati ad quantitatem alij atq; alij apponi possunt.

45. Philosophiam *practicam* non pauci ex nobilioribus Philosophis distinctis tribus comprehendunt Habitibus, Ethicâ, Politicâ & Oeconomica. Rectius ij faciunt qui ex fine, qui in practicis principalissimum est, ipsâ nempe *Edaysuoria* civili, cui Politicæ & Oeconomices fines subordinantur, essentialiter uno unam tantum philosophiam practicam esse demonstrant. Sequuntur hoc ipso Aristotelem, qui, universalem practicam Philosophiam Politicæ nomine complectitur. *l. 1. mag. Moral. c. 1.* & eo fine Ethicæ præcepta consignavit ut optimâ formaret Rempublicam quod docet insignis locis, *l. 7. Polit. c. 13. (2.)* ipse Virtutum Catalogus ab Arist. commendatus Politicæ & Oeconomices subordinationem monstrat. Quis enim in solitudine Justitiæ, Fortitudinis, Amicitie, Comitatis, Magnificentie &c. usus est? Nullus sane: in societate autem splendidissimus.

46. Relin-



46. Relinquitur inde Ethicam Politicam & Oeconomicam unam esse disciplinam, Cujus pars generalis est Ethica, Summum bonum cum suis mediis generatim ponderans: Specialis vero duo veluti brachia s. membra ex se fundit, Politicam in specie sic dictam & Oeconomicam, quorum illa pro Republ. optime formanda & conservanda præcepta tradit, hæc Familiarum saluti potissimum inservit.

47. Effectivæ Philosophiæ partes vel rationi vel orationi vel utriq; succurrunt, & sunt, Grammatica, Rhetorica, Logica.

48. Inter Philosophiam Theoreticam & Practicam datur ordo quidam dignitatis reciprocus sub alio atq; alio respectu. Dignior est Philosophia theoretica quàm practica, si spectemus Objecta, subjectum ultimum, & adjunctum otium. Præstantiæ ratione contra Practicæ cedit Theoretica, si respiciamus usum in vita communi.

49. Ordinem in addiscendis Philosophiæ partibus hunc servandum esse arbitramur, ut. 1. addiscatur Grammatica, 2. huic subjungatur Rhetorica. 3. cum his conjungantur initia Poëticae. 4. ad rudimenta Logica animus applicetur, quibus. 5. adjungantur disciplina Mathematicæ. 6. imbibantur præcepta Ethicæ. 7. accedatur ad Gnostologiam. 9. ad Noologiam. 10. labor promoveatur ad Metaphysicâ. 11. opera detur Pneumatologiæ. 12. Ad manus sumantur præcepta Politica. 13. Tempus consumatur in studio Physico. Consilium hic nostrum aperientes libertatem nemini adimimus, qui liberè, ast unicè intentâ veritate, philosophandum esse novimus.

## ADDITAMENTA.

1.

*Non potest nec debet in Philosophiâ scriptum aliquod principium dari vel postulari, quod controversiarum philosophicarum norma sit, quemadmodum in Theologiâ omnium controversiarum Theologicarum Index unicus est Scriptura. Unde frustra sunt, qui Aristorelis Philosophiam per omnia pro principio acceptandam esse contendunt, vel in unum Aristotelem omnia colata fuisse, quorum mens humana capax sit, fingunt.*

2. *Philosophia omnino denotat complexum habitum theoreticorum, practicorum & Effectivorum.*

3. *Accedat ad gradum aliquem unitatis, quam sortitur ex unitate objecti,*

4. Est



4. Est verò unum quid per aggregationem, non propriè sed per similitudinem ita dictam. (rara.)

5. De partibus suis predicatur in casu recto predicatione signi-

6. Ex Aristotele divisionem Philosophiæ, & habituum Philosophicorum numerum determinare vix quinquam poterit.

7. Libri Analytices & Dialectices in libellis nostris Logicis fusè satis explicantur & nobis proponuntur, ut novâ quâdam Logicâ opus non sit.

8. Multa quidem à Scholasticis inutilia in Philosophiam tuis se introducta & disputata non diffitemur, sicut nec illud inficiamus, quod in rerum tractatione occupati vitrum nonnunquam lambant & contenti in eo potius dulcedinem non degustent; si tamen ad Analyticam & Dialecticam Arist. pervenientes explicationem Præstantiorum ex his sectemur, de lassati non reddimur Disputatores.

Ad Eximium & præstantissimum.

D N. Respondentem,

De Philosophia in genere Disputantem

**A**tlantem & Baltin palmo sit, claudere, mirum?  
Crede mihi, hic Atlas, hic quoq; Baltis inest.  
Cimicibus balanos linquas, Martisq; Kalendas:  
Per Sophiam tibi, me Judice, laurus erit.

Honori & amori, quod debui L. M. Q. F.

Augustus Varenius, SS. Theol. Licentiatus Hebr. L. P. P.

---

HEINRICUS HOLSTENIUS,

Per anagr.

HEUS SIC ULTRO: EN IN HIS.

**H**eus jussat, HOLSTENI, Sophia gustasse liquores  
Deq; Quœsi docto differuisse choro.

Nascitur inde decus, grassatur ad aethera nomen  
Flammiferum, haud famam mors furibanda teret,  
Gratulor ergo tibi, cathedra dum sponte Sophorum  
Scandis, dum vires exprimis ingenij.

Pergito SIC ULTRO: studiis EN IN HISCE Sophorum  
Lata latet Virtus, gloria lata, decus.

Daniel Langenbechius, Nordledâ-Hadelericus.

☞(o)☞











46. Relinquitur inde Ethicam esse disciplinam, Cujus pars generalis suis medijs generatim ponderans: membra ex se fundit, Politicam in quorum illa pro Republ. optime tradit, hæc Familiarum saluti potissimum.

47. Effectivæ Philosophiæ partes succurrunt, & sunt, Grammatica, Rhetorica, & Poetica.

48. Inter Philosophiam Theoreticam dignitatis reciproci sub alio aspectu philosophia theoretica quàm practica, si maximum, & adjunctum otium. Præsertim Theoretica, si respiciamus usum in vita.

49. Ordinem in addiscendis Philosophiæ esse arbitramur. ut 1. addiscatur Grammatica. 2. cum his conjungantur initium animus applicetur, quibus. 3. ad jungantur præcepta Ethicæ. 4. accedat Rhetorica. 5. labor promoveatur ad Mathematicam. 6. ad Logicam. 7. ad Poeticam. 8. ad Musicam. 9. ad Nauticam. 10. labor promoveatur ad Mathematicam. 11. ad Logicam. 12. Ad manus sumantur præcepta in studio Physico. Consilium nemini adimimus, qui liberè, aut utrumque esse novimus.

# ADDITIONA

1. Non potest nec debet in Philosophia principium dari vel postulari, quod non norma sit, quemadmodum in legibus Theologicarum Index universalis sunt, qui Aristotelis Philosophiæ præceptandam esse contendunt, vel iudicata fuisse, quorum mens humana.
2. Philosophia omnino denotat theoreticorum, practiceorum & Effectivorum.
3. Accedit ad gradum aliquem usitate objecti,

Decòmicam bonam  
imum bonum cum  
duo veluti brachia s.  
& Oeconomicam  
servanda præcepta

elorationi vel utriq;  
icam datur ordo qui-  
Dignior est Philo-  
ta, subjectum ultri-  
ontra Practicæ cedit

bus hunc servandum  
ic subjungatur Rhet-  
rudimenta Logica  
Mathematica. 6. in-  
gram. 9. ad Noolo-  
pera detur Pneuma-  
3. Tempus consu-  
perientes libertatem  
ritate, philosophan-

# ADDITIONA

rum aliquod prin-  
rum philosophica-  
nium controver-  
tura. Unde fru-  
a pro principio ac-  
relem omnia col-  
ngunt.  
habitus theore-  
quam sortitur ex  
A. B. C.

